BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 315r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

custodire ab hoc seculo. ·ij·

Fratres mei nolite in personam acceptione habere fidem domini nostri ihu xpi glorie. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida. introierit autem et pauper in sordido habitu. et intendatis in eum qui indutus est veste preclara. et dixeritis ei. tu sede hic bene. pauperi autem dicatis. tu sta illic. aut sede sub scabello pedum meorum. nonne iudicatis apud vosmetipsos. et facti estis iudices cogitationum iniquarum. Audite fratres mei dilectissimi. Nonne deus elegit pauperes in hoc mundo. divites autem in fide. et heredes regni quod repromisit deus diligentibus se. Vos autem exhonerastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos. et ipsi trahunt vos ad iudicia. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos. Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas. diliges proximum tuum sicut te ipsum. bene facitis. Si autem personas accipitis. peccatum operamini. redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem servaverit offendat autem in uno. factus est omnium reus. Qui enim dixit. non mechabris. dixit et non occides. Quod si non mechabris. occidas autem. fis es transgressor legis. Sic loquimini et sic facite. sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium. Quid prodest fratres mei. si fidem quis dicat se habere. opera autem non habeat. Numquid potest fides salvare eum. Si autem frater aut soror nudi sint. et indigeant victu cotidiano. dixerit autem aliquis de nobis illis. ite in pace calefamini. et satiamini. non dederitis autem eis que necessaria sunt corpori. quid proderit illis una caritas. Sic et fides si non habeat opera. mortua est in semetipsa. Sed dicet aliquis. Tu fidem habes. et ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus. et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est deus. Bene facis. Et demones credunt. et contremiscunt. Vis autem scire o homo inanis. quoniam fides sine operibus mortua est. Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est offerens ysaac filium suum super altare. Videsne quoniam fides cooperabatur operibus illius. et ex operibus fides consummata est. et suppleta est scriptura dicens. Credidit abraham deo. et reputatum est illi ad iustitiam. et amicus dei appellatus est. Videtis igitur quoniam ex operibus iustificatur homo. et non ex fide tantum. Similiter autem et rahab meretrix nonne ex operibus iustificata est suscipiens nuntios. et alia via eiciens. Sicut enim corpus emortuum est sine spiritu. et fides sine operibus mortua est. ·iij·

Nolite plures magistri fieri fratres mei. scientes quoniam maiorem iudicium sumimus. In multis enim offendimus omnes. Si quis in sermone non offendit. hic perfectus est vir. Potest et eum etiam freno circumducere totum corpus. Si autem equorum frenos in ora mittimus ad consentiendum nobis. et omne corpus illorum circumferimus. Et ecce naves cum magne sint. et a ventis validis mittantur circumferuntur autem a modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit. ita et lingua modicum quidem membrum est. et magna exaltat. Ecce